

**Quaestio medica physiologica de aquis, in quibus tempore gestationis foetus humanus quasi natat ... / praesidis ... Marci Mappi ... solenni eruditorum examini exhibet Johannes Jacobus Espich, Argent. Ad d. [blank] Mens. Martii. M. DC. LXXXV.**

### **Contributors**

Mapp, Marc, 1632-1701.

Espich, Johann Jacob, active 1685-1691.

### **Publication/Creation**

Argentorati : Literis Johannis Welperi, [1685]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dmurd8xj>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



Q. D. B. V.

17

QUÆSTIO MEDICA  
PHYSIOLOGICA

DE AQVIS,

In quibus tempore gestationis Foetus  
humanus quasi natat.

QUAM

Exercitii & Speciminis edendi loco,  
Occasione Lectionum publicarum

DOMINI PRÆSIDIS

VIRI

NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXPE-  
RIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI

DNI. MARCI MAPPI,

PHILOS. ET MED. DOCT. ET PROF.

PUBL. CELEBERRIMI,

Patroni sui ac Præceptoris quovis ho-  
noris nomine piè semper prosequendi, colendi.

*Solenni Eruditorum Examini exhibet*

JOHANNES JACOBUS ESPICH, Argent.

*Ad d. 7. Mens. Junii. M. DC. LXXXV.*

*hor. locoq. solitis.*

27

---

ARGENTORATI,  
LITERIS JOHANNIS WELPERI.



# V I R O S

*Magnificos, Nobilissimos, Ampli-  
simos, Prudentissimos, Reverendi-  
simos, Consultissimos, Experien-  
tissimos atq; Spectatissimos,*

LIBERALISSIMI LEGAT  
OTTONIANI  
PRÆFECTOS ET EXECU-  
TORES DIGNISSIMOS,

*DOMINOS SUOS GRATIOSOS,  
Mecænates, Patronos, Fautores &  
Promotores Maximos,*

Hisce Medicarum frugum primitiis  
in sui, suorumque Studiorum com-  
mendationem eâ, quâ decet, obser-  
vantia veneratur

*Tantarum Nobiliss. Amplitud.*  
*Devotissimus Cliens,*

Johannes Jacobus Espich,  
Argentoratensis.



I. N. 7.

# PROOEMIUM.

**A**udabili & nos L. B. Reipubl.  
literariæ consuetudini subjicientes,  
Disputationem aliquam Medicam  
conscribere nobiscum constituimus:  
quodnam autem thema esset eligen-  
dum, diu multumque hæsitavimus;  
ex multis denique materiis præsentem hanc de  
AQUIS UTERI tractandam, occasione no-  
bis præcipuè in Lectionibus publicis Viri Excellen-  
tissimi Dissertationis hujus Præsidis subministratâ,  
elegimus, tanquam materiam utilissimam, sci-  
entique Medico valdè necessariam: in res etenim in-  
utiles minusque necessarias non multum studii &  
operæ conferendum esse, præclare monet Roma-  
næ eloquentiæ Princeps *Cicero*: quod imprimis iis  
observandum esse arbitramur, qui ad Medicinam  
animum applicarunt, est enim divino dictante  
*Hippocrate* in vestibulo aphorismorum, ars, quam  
aggressi sunt, longa, vita autem humana, artis  
comparatione, brevis; Opera itaque danda, ut  
Medicæ artis initiatis ea tractentur, quæ maximè  
A utilia:



utilia : Nullam proinde operam aut oleum per-  
turos nos confidimus, si dissertatiunculam ha-  
solenni submiserimus disquisitioni. DEUS,  
opem Tuam implorantibus præsto esse soles, &  
Spiritus Tui Sancti gratiâ rege atque governa.

## T H E S I S I.

**I**Nfinita sunt, quæ mirari potius, quam rimari fas est : ad  
referamus Aquas Uteri, quis nobis id vitio vertat? Intrin-  
certe quæstio est, unde humor ante partum modò impetu  
erumpens, modo sensim defluens, ortum trahat? quid sit? quæ  
ve usum habeat? & fatigavit eadem præclara sanè ingenia : ut  
ergo inde patet, & nos de ea dicturos, ut possumus, quando-  
dem ut volumus, non licet. Sunt autem Aquæ Uteri, de quibus  
quæstio, in quibus foetus gestationis tempore, Amnio im-  
diatè & Chorion mediatè illas amplectente, quasi natat, &  
ante partum modò citius, modò tardius erumpunt, (german-  
idiomate dicitur, **das Wasser bricht/oder springt**/unctus  
quadantenus liquor, seu mollis aqua, quæ tenuioris olei naturæ  
aliquo modo æmulatur, & cum nulla re aptius conferri potest  
quantum oculis judicare concessum est, quam cum sero lac-  
dicimus cum sero lactis, non cum aqua lactis, quæ inde sep-  
paret limpidissima, **Es sihet auß wie gemeine Milch**  
**Molken** : Tales in utero (si datur copia inspiciendi) sæpe  
observantur, tales Excellentissimus Dn. Præses in gravida  
benè sana, foetu ad exitum jam converso, & imminente partu  
horrendo facinore trucidata, & celeri manu aperta, in ipsa ci-  
vitate Uteri deprehendit, talesque ante partum, secundum ordi-  
nas naturæ leges fluunt, & secuturi foetus spem præbent.

§. 2. Hic liquor quid sit, jam olim maxima fuit inter do-  
controversia ; dum 1. quidam sudores pueri ita in membris  
colligi, in necessarios usus contenderent : quidam 2. urinas  
jussidem : quidam 3. fuligines addunt ore exclusas : 4.  
dam etiam succum alimentarium esse probare nituntur, quo  
lo nutriatur foetus : quidam 5. excrementitium liquorem  
que alimentarium, membranis & sedibus distinctos, agnoscu-  
denique 6. etiam duram sententiam Dn. *Stenonis* notavim



ui in aquis hisce excrementa foetus contineri ait, quibus is tamen nutriatur: sed singulas has sententias paulò accuratius examinabimus, ut veritatis cupidi, videamus, quæ illarum sit re-nenda.

§. 3. Primam sententiam, liquorem dictum sudorem esse foetus, quod concernit, illi cum Experientissimo Dn. *Mau-ceau*, Chirurgo Parisiensi percelebri, tanquam probabiliori ascribimus, Sudoris vocabulo eo modo sumpto, ut dicetur; Videntur equidem tres potissimum obstare objectiones, repetitæ etiam à Dn. *Diemerbroeck*, pag. m. 297. 1, quod ante partum & perfectum foetus, vel etiam in principio formati foetus, tam copiosus, crassus & unctuosus sudor ab exili embryo-ne emanare nequeat, qui sua quantitate corpusculum embryo-nis decuplo & amplius superet. 2, quod si hic esset modus generationis, quo magis foetus cresceret, eò magis augeretur: contrarium autem docere ocularem inspectionem; nam in ovibus manifestissimè cum incremento foetus paulatim imminui, ut paulò ante partum vix quicquam ejus supersit, qui tamen copiosus adsuit in principio. 3, quod videatur sudoris acrimoniam nocere posse: sicut quoque hanc intertriginem facere, alias observatur. Verum enimvero rationes hæc sufficientes nequaquam videntur, ut probent, sudorem hic locum non habere. Rursusquam autem respondeamus ad argumenta, quædam in accessum notanda: sc. non hoc nos velle, ex foetu sicut in adultis, ex crassis sudoribus, à causis tantum non semper violentis scitatis, & confluentibus, aquas istas constitui, sed arbitrari ex tenello foetus corpore calido & humido, ac propterea magis transpirabili, quam adultorum, ex quo tamen copiosè per *πύλον διαπνοῆς* fit vacuatio, sine intermissione exhalationes effluere, quæ exitum non invenientes, sed impingentes in membranis densas, vertuntur in aquas, non secus ac in alembico hoc fieri conspiciamus: Si verum est, quod per insensilem transpirationem plus transeat ex corpore nostro, quam ullà sensibili vacuatione alià, quod *Sanctorius* arte statica probatum ivit; tamen magis id continget in tam tenello corpore, in loco calido & humido hærente: Nunc expendamus argumenta. Primum eundem satis firmiter videtur probare, sudorem tenelli foetus



minimi constituere non posse molem aquarum Amnii : quod  
 & libenter concedimus , nec unquam dicemus , liquorem istum  
 ex sudore foetus , dum adhuc in rudimentis suis jacet , provenire ;  
 satis enim apparet , hujus aquositatem residuum colliquamentum  
 utriusque seminis esse , ex quo prima incrementa habet embryo ;  
 nullum etenim alimentum ita analogum partibus , quod excrementum  
 quoddam inde relinquatur ; aquositatem autem quandam ex colliquamento  
 relinqui , illius substantiae inspecta satis declarat : Atque ita notata ratio , & quae ad illius illustra-  
 tionem pertinent , probant , quando in rudimentis suis haeret mi-  
 nus embryo , crassum & unctuosum humorem , cui immensus est ,  
 non esse sudorem : quod vero serosior ille copiosus humor de quo  
 nobis jam hic sermo , qui sensim , dum colliquamentum in incrementum  
 corporis consumitur , & quando consumptum colligitur , & usque  
 ad tempus partus in utero stagnat , non ortum a vaporosis exhalationibus ,  
 hoc dicta ratione minime probatur. Quod 2. attinet , illud magnum  
 postulatum continetur. In ovibus an res ita sese habeat , nos  
 periculum non fecimus , sed in homine seu foemina contrario modo  
 se rem habere , certi sumus , fide historica nobis data ab Excellentiss. Dn.  
 Praeside in Relationibus publicis , dum inquit ; *Oculorum meorum fide  
 certissimus , & aliis fidem facere possum , aquas illas ultimis men-  
 bus esse copiosas , non solum , quod iterum iterumque Spectator  
 quanta moles aquarum ante foetum excludatur in partu : sed praecipue ,  
 quod mihi ante annos aliquot copia hic facta est , examinandi  
 uterum matris partui vicinae , ante paucas horas trucidatae , cum  
 foetus jam ad exitum se composuisset ; tantam enim aquarum copia  
 vidi , quam non potui non mirari , precipiti festinatione non  
 permittente , ut vel pondere , vel mensura illas examinarem ; At  
 molem certè & multitudinem aquarum , ex quibus exemi foetum  
 respiciens , nullum diminutionis indicium habui , quia totus ute-  
 rus aquis foetum continentibus erat distentus , ut certè , contendere  
 paucas esse circa partus tempus illas aquas , ausim dicere , ad nugae  
 & ineptias pertinere , siquidem de homine sermo sit. Quamvis  
 enim in uno alterove brutorum genere res ita sese habeat , frustra  
 tamen illud allegatur , nisi in homine simili ratione se rem habere  
 probetur : & potius investigandum , quare dissimili ratione in*  
 qui.



*quibusdam animalium speciebus se res habeat.* Tertium argumentū parum roboris habet : Nam ab aquis ex exhalationibus benignis tenelli foetus, ex blandis humoribus formati & nutriti, condensatis, non videtur tale periculum imminere : ne quidem adultorum sudores ita acrimoniā nocent, nisi p. n. sanguis seu humores sint acriores. Nullum E. haecenus satis validum fuit prolatum argumentum ad probandum, aquas istas non dicto modo ex exhalationibus condensatis coire. Quapropter hac de sententia in sequentibus amplius dicemus.

§. 4. Pergimus autem ad secundam sententiam, quæ statuit, liquorem illum urinas esse. Hanc amplectentes, has adferunt assertionis suæ rationes : 1, quia urinæ foetus nulla alia via vacuationis commodior monstrari potest, quam vel per urachum ad capacitatem membranarum, vel per virgam seu meatum urinarium ad eandem. 2, colorem habeat & saporem salsum, quem habet urina in vesica contenta. Sed ad primum argumentum respondemus : Viam urinæ per urachum ad capacitatem membranarum nequaquam esse expeditam : Quæcunque enim ex ratione solum inventa proferuntur, contra sensum fidem, illa lubrico stant talo. Notant autem in Anatomia versatissimi, quod urachus, ubi ascendit ad umbilicum, sit tendinosus, & sese habeat instar minimæ chordæ testitudinis, **wie ein Eleis** **ne Lautenseit** / ubi nulla indicia canalıs seu tubuli : nemo certe haecenus monstrare potuit, urachum pervium esse, & ad membranas urinam ex vesica foetus reducere. Quod alteram viam per virgam seu meatum urinarium attinet, illa tam necessaria in claustro uteri materni non videtur, ac vulgo creditur : nam sicut, quamdiu foetus est in utero, nulla est necessitas excrementa alvina deponendi, quia pauca colliguntur, ita non major urinas reddendi; vesica enim semper repleta deprehenditur : quod si vero se exoneraret, certe quandoque urina illam non distenderet. Præterea editus in lucem foetus, sicut excrementa alvina paulò post reddit, ita etiam urinam. Non vero tanta urget necessitas urinas reddendi in utero, quia alia via multum serositatis transit & colligitur in amnio, quicunque tandem sit modus excretionis, & quæcunque via; & loeum etiam hic habere debet illud polythrylliton; qui multum sudant, parum mingunt. Ad



Ad alterum argumentum à colore & sapore desumptum respondemus : Colorem non esse sufficiens indicium urinæ ; posito quod sit sudor , posito quod sit serum alia ratione secretum idem tamen futurus color , siquidem ita diu in loco calido fingnet : est certè color multarum rerum commune accidens. quantum color posset suadere esse urinam, tantum & magis in substantia illud dissuaderet, quoniam uti dictum, unctuosus liquor, mollis aqua, tenuioris olei naturam quasi referens. Quamvis falsedinem attinet, vix sunt, qui illam sensu perceptibilem in aqua uteri, sicut in urina, inesse urgere sustinent. Certo interim certum est, tenellum fœtus corpus falsedinem urinæ, & falsedini inseparabiliter adjunctam acrimoniam non ferre, cum videamus, fœtum post partum, si puerili se permittant, ni cautè prospiciatur, diligenter mutando linteamina, intertrigine corripitur & excoriatur, nem quasi fieri; mulierculæ nostræ dicunt, **die Kinder werden fratt** : quanto quæso magis hoc contingeret, si per plures menses fœtus in urina quasi maceraretur? imò in urina, quæ diuturnâ morâ necessariò redderetur magis falsa, sicut idem observatur, tum in vesica in suppressione urinæ, tum extra vesicam v. gr. in cavitate abdominis in hydrope, in quo acrimonia seu viscera infimi ventris quasi arrodit. Positâ autem, aut suppositâ qualicunque falsedine, inde nullum argumentum duci potest pro urina, quia etiam sudor, etiam lachryma salis est particeps. Certe legit quoque nobis Dn. *Mauriceau* alia firma argumenta probandum, aquas uteri non esse urinam, per virgam & metrum urinatum redditam. 1, quia etiam Mola adjunctas habet istas aquas. 2, quia quidam in lucem fuerunt editi, per non perforato, aut puellæ atretæ, pudendo per coalitum clauso, ubi ipsa evidentia convincit, non redditam fuisse urinam, natas tamen æquè in aquis. 3, Præterea non posset aqua uteri vel amnii proportionaliter jam adesse, quando partes urinariæ eousque efformatæ non sunt, ut possint usum suum præstare, nec umbilici structura absoluta. Nulla E. remanet probabilitas, aquas uteri urinas esse, aut fœtum in utero mingere nisi forsan ad statum p. n. respicias, sicut quoque excrementa a vena fœtus morbosus aliquando in utero deponit : sed ad hunc non respicimus.



§. 5. Tertiæ sententiæ subscribit Dn. *Riolanus*, sudorem alias *Anthropogr. lib. 6. cap. 7.* & alibi constanter admittens, capite tamen *seq.* ait; illum liquorem esse fuliginem sanguinis arteriosi, ex corde expulsam in pulmones, atque inde per os & nares effluentem, sic tandem in aquam conversam, quâ foetus circumfusus est; addens hæc verba: hinc enim sumit incrementa hæc aqua. Ad hanc sententiam notamus, nobis videri, sagacem illum naturæ & usus partium scrutatorem, *d. l.* non aliud sibi voluisse, quam quod aquæ dictæ accessiones quasdam exinde habeant. Difficile autem est hoc concipere, quia sicut nulla inspiratio, ita nulla expiratio in foetu. Supposita autem illa Dn. *Riolani* mente, Dn. *Diemerbræck* frustra contra illum disputat, quando dicit; si illud verum esset, deberet ille liquor in principio, cum adhuc vel nullus, (ut in bulla ante foetus formationem,) vel paucissimus est sanguis, etiam nullus aut paucissimus esse; atque incrementum foetu magis magisque augeri; cum è contra in principio sit copiosus, & exinde paulatim imminuatur, ut in ovibus observatur: Incrementum enim in homine foetu, aquas augeri, & imminente partu copiosas esse, supra fuit declaratum.

§. 6. Quarta tum veterum, tum recentiorum quorundam est sententia, statuens liquorem, qui in Amnio continetur, esse alimentarium; cujus Authorem aut vindicem strenuum se proficitur *Joh. Claudius de la Courvée*, Reginae suo tempore Poloniae Medicus percelebris, in tractatu, quem inscribit, de nutritione Foetus in utero paradoxa: Et hic sententiæ hujus Authorem vel vindicem se solum proficitur; hinc enim est, quod sententiam novam vel renovatam nominet: Nam hanc vanam gloriam inventionis Dn. *de la Courvée* sibi pollicetur, quod nemo ante ipsum declarare valuerit, foetum ex solo liquore ambiente nutriri, (unde inauditam appellat) ita tamen, ut tribus vel quatuor primis mensibus ex colliquamento nutriatur, sequentibus vero, quando foetus formatus, per os. Fatetur equidem *Hippocratem*, *Galenum*, *Democritum*, ex recentioribus *Harveum*, agnoscere succum nutritium in Amnio, & nutritionem per os; Ipse vero urget hanc exclusâ communicatione nutrimenti per umbilicum, ut videbimus. *Hippocratem*, quod attinet,



net, talia in *libr. de princ. seu carnib.* verba leguntur : *Ceterum puer in utero comprimens labra, ex utero matris fugit, & tum alimentum, tum spiritum, cordi intro trahit, ubi sanè mater spiravit.* Quod paulò post ita probat : *Si vero quis interrogatus quomodo hoc quis sciat, quod puer in utero trahit & fugit : illi respondendum est.* *Pueri nascuntur stercus in intestinis habentes : & ubi nati fuerint, celerrimè ventrem tum homines, tum pecora exonerant.* Atqui non haberent stercus, nisi in utero suxissent ; Imo neque mammam statim, ut natum est, sugere nossent si non in utero suxisset. Hisce suppositis necessariò succus nutritius erit in Amnio. *Galen. cap. 3. libri, qui inscribitur, & animal sit id quod in utero est, ita loquitur : Fœtus devorat, (ut Hippocrati videtur) spirat : ore enim nasoque spiratum desuper fieri scribit : ipsumque ex Asclepiadis quidam sugere, quæ in utero sunt cotyledonas, ac coquere dicunt.* Siquidem ea, quæ devorata sunt, coctio necessariò sequitur, etsi quam maximè jam confectum ab utero nutrimentum assumat : &c. & paulo post non ab ea solùm, quæ per umbilicum ad portas in jecur è secundo fertur, materia nutriri putatur : etenim per has quoque vias alitur : maximè verò per eas, quæ perfectiores sunt : ac per quas cunque desertur, nutrimento fruitur. Neque enim putabis Hippocratem dicentem, quod antiquius est nutrimentum per abdomen, quæ umbilicum invehit, ignorasse, num id ore nutriatur : etenim de hac quoque via locutus est, ut ante propositum est. Quod verò in utero ore nutrimentum sumat, testis est post partum protinus mamma appetitio; neque enim, nisi antea huic viæ assuetus esset, tam citò ad mammam ferretur. Ex quibus verbis concludunt, non posse non esse succum nutritium in Amnio.

§. 7. De hac sententia Medici nutritionem per umbilicum amplexi, ferè tacuere per multa secula, pauca certè reperies apud illos. Hujus vero seculi curiosi, ante omnes *Harven* liquorem illum Amnii pro alimento inservire, & absumpto succo nutritioni idoneo, reliquias ejus in excrementum urinæ simile degenerare, dicunt : Anno autem hujus seculi LV. *Dn. de la Courvée* aggressus est, præter autoritatem & rationes *Hippocratis & Galeni* supra citatas, illam pluribus undique conquistis phænomenis & rationibus probabilem reddere, & quæ me-



atur cæteris rejectis recipi : imò probare, toto gestationis tempore solum per liquorem Amnii fœtum nutriri. Cum autem *de la Courvée*, liber paucorum manibus teratur, cum semel tantum ( ni fallor ) Dantisci Anno 1655. sit impressus, eruemus toto ejus tractatu, quem hoc nomine diligentius excussimus, omnes ejus rationes, quæ pro probabilitate illa facere quacunque ratione possunt. Ille enim quæstiones plures confundens, non satis distinctè illas proponit. Ordine autem eo illa proponemus, quo apud illum occurrunt, quamvis ex *Harveo* pleraque repetat.

§. 8. Primum est: Liquor quo circumfusus est undique puer in utero, nec est sudor, nec est urina; quia dum os aperit fœtus, vel necessitate, vel casu, hæc hauriret excrementa alato ingratissima, & quæ sanitati maximè officerent. Quod item in utero puer quandoque aperiat os, facilè judicabis, inquit, si consideres, ipsum modo huc, modo illuc, & in quamvisque partem revolvi; quæ vero necessitas major fœtui movendi pedem, quam labia? ita tamen sapere debet infans, ut ea non moveat, quamdiu est in utero! metus enim esset alioquin, ne affocaretur ingratissimo liquore.

§. 9. Alterum repetit ex *Hippocrate*: ait enim; Repente animo, an credibile sit, tanto temporis spatio, & toto gestationis tempore, eum labia non movisse, qui vix enatus, ea primum fortiter movet, diducitque magno hiatu, fugit, ejulat; quomodo fieri potest, ut illico natus infans fugat, si nunquam moverit in utero? & quomodo fieri potest, ut tam fortiter, & ita diversè statim labia moveat, si nunquam moverit ante: Itaque si puer in utero movet labia, & os aperit, concludendum est, liquorem hunc, quo circumfunditur undique, nec esse sudorem, nec urinam, sed potius gratissimum fœtui.

§. 10. Tertium argumentum est, quod liquor Amnii sit gratissimus olfactui & gustui: ait hoc docere animalia bruta, quæ simulatque pepererunt, lingunt avidè continuò locum, quo decidit humor, fœtumque adhuc madidum lambunt, quasi exhaustas à labore vires vellent illicò reficere, dareturque ipsis in præmium partus, gratissimo hoc liquore recreari: ita ille; Ipse quidem sibi format objectionem, quæ fuerit omnium: scil. vi-



deri posse, hoc ipsum phaenomenon quam maximè probare liquorem istum urinam: cum enim norint omnes, quam stentur bruta sale, & quâ aviditate hunc lambant, verole videri, bruta liquorem in terram excidentem lingere, & foeculentum recens exclusum, liquore isto madidum, lambere, quia illi particeps, unde colligitur, urinam esse. Sed responderet; si esset ratio, delectarentur etiam deinceps urinâ fœtus, quod observatur. Et cum porro reponi posset, hanc esse differentiam quod urina in amnio collecta, morâ majorem falsedinem assumeret, respondet etiam ad hoc: Impossibile esse, ut adeò sal illa aqua, quia acrimoniam salis non ferret tenellum fœtus conciperet, cum videamus, urinâ pueros, si sc. linthea non diligenter mutata, statim excoriari.

§. 11. Quartum est: Quod cum Amnios nequaquam dici possit locus naturalis, & proprius conservativus, sicut locus est vesica: propterea cum in quemcunque locum in corpore excidat urina, corrumpatur, sicut videre est in Hydrope, corrumpat substantiam parenchymaticam viscerum, liquorem cui innatat fœtus, urinam esse non posse, quia ille in viaruptionis & putrescens noceret fœtui, si vel os subiret, vel fœtus corpus undiquaque allueret, quia fœtor & acrimonia talem corruptionem necessariò consequuntur.

§. 12. V. Fœtu adhuc existente minore, eâ copiâ liquorem in amnio repertum fuisse, ut illum tantilli fœtus innatantis sudorem esse, nemo suspicari possit.

§. 13. VI. Aquas uteri, quibus fœtus innatat, dicitur fam ab urina substantiam habere, esse unctuosas, & olei qualitatem referre.

§. 14. VII. Ait: Animalia quæ toto vitæ cursu neque sudant, neque mingunt, hoc liquore tamen abunde non secus ac alia.

§. 15. VIII. Cum embryo nondum formatus, innatat liquori, quærit qui hic vel sudor, vel urina esse possit, talis embryo neque minxerit, neque sudarit, ut qui nondum beat instrumenta. Adducit historiam ex *Riolani anthropol.* p. 6. de fœtu humano rudi & exiguo, quem ille dicit flavescenti ac ad unicas tres immersum fuisse: quærit unde potuerit suppelliculus liquor?



§. 16. IX. Fœtum toto gestationis tempore, non plure generare excrementa, quam partes his recipiendis destinatæ, continere possint: adducit auctoritatem libelli, *An animal sit quod in utero est*: ubi ait; *neque enim hi post partum, proprias operas ab aliquo discunt, sed in utero contenti devorant, comuntque ac expurgant distributum alimentum, apponuntque quod erogatum est, ac supervacuum depellunt, ut postquam in lucem prodierint, quod supervacuum est, excernant.* Probat autem populum, quod omnes quotquot nascuntur pueri, simulatque nascuntur, dejiciant ano atque mingant; item quod quocunque mense, sexto, septimo, octavo, quo excludatur, vel eximatur ex utero fœtus, vesica semper urinâ plena reperiatur. Unde *Riolanus l. d. fœtu humano*, quem citat, ait: *Vesica magna est in fœtu, ventriculi ambitum tripla magnitudine superans*: quod si enim binde aut grandescente fœtu, quotidie urina per urethram exuderetur, tanta distensione opus minimè fuisse, ut tripla magnitudine ventriculi ambitum superaret, & totam hypogastricam regionem occuparet. Videri E. nihil excludi toto gestationis tempore: arbitratur, propter pondus lotii contenti, unicè urinarum datum esse, tanquam ligamentum suspensorium; ita partitione toto gestationis tempore, nullas alvi fœces deponi, ex a controversiam esse, simul vero atque natus est fœtus, meminum reddere, utrinque pari urgente necessitate; quia scilicet abundat, abundare autem, quod nihil ante excludatur: Ita iam recondi bilem in propria cysti, ut toto gestationis tempore nihil inde effluat: secundo autem à parvulo die incipere per anum jici. Cum E. excrementa ex instituto naturæ videamus retineri, donec fœtus in lucem editus, hinc intelligi, liquorem amnii, nec sudorem, nec urinam esse.

§. 17. X. In specie non esse sudorem, quæ multorum est sententia, tali invektivâ sibi videtur probare. Sudat igitur in utero puer, eâdem ratione, quâ vegetus homo, dum se nimium exercet vehementius exercet, aut moratur diutius in cœlo fervidior; præclarus sanè conceptus, & luculenta admodum collatio: Num aliquando puer ita fortiter se exercet in utero, ut ab hoc exercitio sudor emanare possit? an calor uteri conferendus est ætivo, vel ambientium calori; qui corporibus nostris vim in-



fert? deinde si sudat in utero puer; peto, an continenter sudat, an tantum per intervalla? si continenter, quomodo non excidit, cum languescant etiam vires hominis vegeti sudore, si per diuturnior sit? si per intervalla, quid accidit causæ, quæ sudorem hunc excitet? an intenditur calor uteri? an augetur per motus? Omnis enim sudor est vacuatio violenta, & nunquam naturalis, nisi à mala causa, dum exonerationem humoris matri-  
fici tentat natura. Itaque si sudet in utero puer, dicendum est, hunc sudorem effluere, ac fieri à causa intrinseca, vel extrinseca molestante; neutrum tamen dici potest. Hæc illa sultatio.

§. 18. XI. Probabilitatem quandam inde vult elicere, quod cum post quartum mensem organa sint formata, his etiam uti foetus, sicut apparet, quod manus atque pedes moveat in utero; ita E. etiam posse movere labia, & movendo illa sugere, gustare & deglutire.

§. 19. XII. Hoc nectit argumentum: si pullus in ovo cibum sumit, ut revera pro cibo recondit in abdomine vitellum, quis Medicorum denegabit, cibum quoque sumi à foetu quamdiu est in utero?

§. 20. XIII. Iterum foetus membrorum perfectionem adeptus, non nutritur per vasa umbicalia: nec totum cibum recondit in abdomine, sicut pullus, nec nutritur per habitum corporis, ut voluit *Alcmaeon*, restat igitur, ut dicamus & concludamus, quod foetus in utero cibumumat ore.

§. 21. XIV. Provocat ad sensum: quocunque enim mense post tertium foetus disseccueris, in ejus ventriculo chyli reperiri, in intestinis tenuioribus chylosa, in crassis autem excrementa stercoracea, ex observatione *Riolani*, *Harvei* & cujusque tum in homine, tum in brutis.

§. 22. XV. Ratione nititur idem inferre, argumentatur ita: In quo subjecto potentiae superioris actus celebrantur, in eo multo magis celebrantur actus potentiae inferioris. Qui in foetu celebrantur actus potentiae superioris, nempe motus E. multo magis inferioris, qualis est chylosis.

§. 23. XVI. Cum pullus in ovo duplici utatur alimento, albumine & vitello, veritati consentaneum esse, in utero foetus



tū duplici nutrimento nutriri: ita tamen, ut non in conceptu sicut in ovo, duplex sit inclusum alimentum; sed primum quidem junctum sit primum, colliquamentum scil. quod nulla alia præparatione opus habet, quo deficiente, accedat in utero quasi cibus novus.

§. 24. XVII. Jubet nos expendere, quod cum fœtus crescit, increseat etiam liquor, donec ultimis mensibus incipiat diminui; causam enim esse, quod puer grandior factus, plus pabuli sumat ore, quam liquoris aliunde possit affluere.

§. 25. XVIII. Necessitatem succi nutritii in amnio inde etiam petit, quod bruta quædam nec placentam, nec carunculas, quibus adhæreant fœtus, habeant, ut equæ & scrophæ: Illos enim succo quodam nutriri.

§. 26. Et hæc sunt potiora argumenta, quibus Dn. *de la Courvée*, assertum suum fulcire conatur, magno numero rationum & argumentorum, ut sibi videtur, stipatus. Verum enimvero verissimum est de illis pronuntiatum. Dn. *Mauriceau lib. 2. cap. 3.* inquit: *la vérité du contraire estant connue des moindres apprentifs, ce seroit se fatiguer en vain, que de s'arrêter à refuter toutes les raisons, qu'il apporte pour prouver & soutenir son dire; car elles se détruissent assez d'elles mêmes, & correspondent toutes à la fausseté de leur principe.* Sed ob supra allegatum §. 7. causam, & quoniam passim arridere, & placere illam sententiam observamus, imò à quibusdam supponi, operæ pretium duximus, rationes illius, ut apud ipsum occurrunt, examinare & percensere.

§. 27. Priusquam autem ad illas nos accingamus, videbimus paucis, quid statuendum de *Hippocratis & Galeni* auctoritatibus supra citatis. *Hippocratem* quod attinet, ille contrariam sententiam habet in lib. *de nat. pueri*, nutritionem per umbilicum his verbis docens: *Ex descendente à matre sanguine & congelato, caro fit. Juxta mediam autem carnem umbilicus distat, per quem spirat, & alimentum & incrementum capit.* Quibus cognata sunt sequentia, quæ lib. *de optim. part.* leguntur, & hujus sunt commatis: *At verò umbilicus, per quem alimenti & spiritus ingressus pueris contingunt, solus ex omni corpore utero adheret, & per hunc introitus ac ingressus ingredientium particeps fit, reliquæ partes connivent, & non prius aperte sunt, quam ubi*



*in exitu fuerit puer ex ventre. Quum autem in exitu fuerit, r*  
*qua omnes aperiuntur, verum umbilicus attenuatur, & con*  
*ac resiccatur. Hæc Hippocrates. Contradicere autem sibi ni*  
 gnum illum Genium sanè durum videtur : Potuit tamen &  
 hære aqua, cum in hominis anatome non valdè exercitatus, i  
 allusionem ad ea, quæ in brutis vidit, de rebus, quæ ad hom  
 nem pertinent, locutus est, ut censet doctissimus *Fallopins* o  
 casione cotyledonum uteri. Nobis E. persuasum habemus, *H*  
*pocratem*, qui valdè intentum oculum ad cotyledonas uteri h  
 buit, quales tamen nequaquam sunt, in *lib. de princ. seu carn.*  
 mente *Democriti* ( cui sententia illa tribuitur, ) locutum esse, v  
 alterius cujusdam; præcipuè cum rationes additæ invalidæ sim  
 & tanti Viri doctrinam non redoleant : vel cum ipse sibi hac  
 parte satisfacere non posset, proposuisse utramque sententiam  
 quod etiam alias fecit in alia materia, v. gr. de officio hepatis, e  
 quo ita ambiguè loquitur, ut videatur rem noluisse determinare  
 adeò ut, quæ ejus fuerit de officio hepatis sententia, ex scriptis suis  
 non constet. Forſan idem dicendum hic.

§. 28. Diximus rationes invalidas esse, quod sic proba  
 mus : Prima est : *Si quis vero interroget, quomodo hoc quis scia*  
*at, quod puer in utero trahit & fugit, illi sic respondendum est.*  
*Pueri nascuntur stercus in intestinis habentes : & ubi nati fue*  
*runt, celerrimè ventrem tum homines, tum pecora exonerant. At*  
*qui non haberent stercus, nisi in utero suxissent.* Magnam speciem  
 em prima fronte habet argumentum; verum si pressius intuea  
 mur rem, tanta forſan difficultas non supererit : Negari quidem  
 non potest, quod in recens natotum infantium intestinis, atra  
 quædam & picei coloris materia reperiatur, Meconium vocata,  
 Græcis *μυκάνιον*, Latinis quibusdam papaverculum; verum illa  
 excrementum est non cibi, aut alimenti cujuslibet in ventriculo  
 confecti, argumento, quod non foetet more aliorum excre  
 mentorum; sed sanguinis crassi & impuri ( ut *Varolius* lo  
 quitur, scil. respectu foetus, ) excrementum, per vasa mēſa  
 raica ad intestina delatum, accessiones quasdam habens ex bile  
 & pituita allabente, ex *Clariss. Spigelii* mente : unde etiam est,  
 quod in ventriculo pituita ( non chylus ut quidam volunt, ) in  
 veniatur, in intestinis tenuibus excrementa pituitosa & flava,  
 ali-



quando subviridia, in crassis vero crassiora & subnigra, nigra, picea : Quo enim diutius in corpore morantur eò crassiorem consistentiam ac intensiorem nigredinem adipiscuntur. Quicunque E. author *lib. de princ. seu carn.* videtur fallaciam causæ commisisse, quando ait : non haberent foetus stercora, nisi suxis- sent : unde enim sint, jam dictum.

§. 29. Quod alterum *Hippocratis* argumentum, à prompto infantis modo nati suctu desumptum attinet, reponimus, illud ita comparatum esse, ut qui pro nutritione foetus per os, tanquam pro aris & focis pugnant, sicut Dn. *de la Courvée*, ipsimet tandem, re diligentius excussâ, de eo desperent : Quamvis enim verum sit, quod puer illicò ubera mirabiliter sugat, sicut hoc amplius declarat *Harveus Exercit. 58.* tamen nulla est consequentia, propterea foetum in utero suctioni assuevisse. Nam 1, quod respondeat in utero papillæ matris, nihil nominari potest. 2, foetus editus in lucem aperit os, vescitur aurâ seu respirat, ejulat, excrementa excludit, quibus omnibus actionibus certè non assuevit in utero, naturâ nullo usâ magistro, ut *Hippocr.* loquitur, utramque paginam absolvente : Quis enim *Martialis* porcellum, quem mater ex vulnere pepererat, currere docuit? de quo *Epigr. 14. in Amph. Cæs.*

*Sus fera jam gravior, maturi pignora ventris*

*Emisit foetum, vulnere facta parens.*

*Nec latuit partus, sed matre cadente cucurrit.*

*O quantum est subitis casibus ingenium!*

Uti dictum, naturæ hæc munera sunt, imò potius ipsiusmet DEI naturæ conditoris & gubernatoris : Eâdem E. operante & magistrâ, credimus apprehendere papillam, aut quod papillæ respondet, v. gr. digitum. 3, Dicimus, planè similem aut eandem vim inesse argumento, ac si ita argumentaremur : Pullus gallinaceus modo exclusus, statim obvia grana milii rostro legit, apprehendit & deglutit, E. huic apprehensioni & deglutitioni in ovo assuevit : quorundam avium aquatiliū pulli, statim ac exclusi sunt, natant, E. natare didicerunt in testa : Quadrupedum foetus mox stant, ambulant, E. didicere ambulare in utero materno, Certè convictus Dn. *de la Courvée*, unico exemplo priori de pullo, quoad hanc ratio-

nem



nem Authoris *c. l.* ait , *non video quid reponi possit* : sed & possent plura , sicut quædam addidimus.

§. 30. *Galen* locum supra citatum quod concernit satis apparet , illum *Hippocratis* , qui Author sæpius *c. l.* putatur , sententiam enarrare , & relative proferre ; alias ex scrip-  
eius satis liquidum est , quæ ejus fuerit sententia. Addi & posset , valdè dubitari ; an liber ille genuinus sit *Galen* , dicamus cum *Francisc. Sanchez* , illum esse inepti cujusdam viri.

§. 31. Adeoque nihil rationis superest ex *Hippocr.* & *Galen. cit. loc.* quod pro sententia illa nutritionis per os , & humi-  
nutitio in Amnio facere posset.

§. 31. Verùm cum promissis nostris standum , progredimur ad *Dn. de la Courvée* argumenta , singula examinando. Primi autem summa est , cum fieri non possit , quin os illud aperiat ,mersus in illis aquis , vel propter necessitatem nutritionis , vel saltem casu , accedente aliquo stimulo , & ratio in hoc per suadeat , labia moveri quia ceteræ partes moventur , id hinc elucere , aquas quibus innatat , non esse excrementitias , quæ ingratae & noxiae tenellis visceribus essent ; præterea periculum suffocationis immineret. Vetum enimvero singulari non opus est subtilitate , ut monstretur , ubi circa aquas illas Authori renovatori sententiæ hæreat aqua. Nam 1. quod necessitas nutritionis per os attinet , neque probavit eam , neque probabit. Quod casum concernit , ille in statu p. n. constituitur , & propterea ad quæstionem nostram non pertinet , quæ agit solum de quæ secundum ordinararias naturæ leges fiunt. Ratio quæ suadet labia moveri , satis probabilis videtur , sed non probat , quod probandum erat , scil. labia ita moveri , ut os aperiat : potius nim ita videntur moveri musculi labiorum , ut os stringatur dum ringunt , ne aqua in quibus mersus est fœtus , in os interpestivè admittatur : sicut etiam natantes in aquis , vel sub aqua stringimus & ringimus labia , ne aqua in os admittatur : videmus certè infantes in lucem editos , paulò post dormituri adhuc quasi simili ratione os ringere. Cum E. quæ supponit nulla sint , ultro intelligimus , nihil inde deduci. Cum non admittatur aqua illa ad interanea , periculum certè non est , ne  
sap



lapor, vel alia qualitas noceat. Suffocationis denique ille satis incautè facit mentionem : quia in humore nutritio æquè suffocatio contingere potest, quam excrementitio, ex. gr. lacte, cerevisia, vino. Denique què potest hic proponere liquorem amnii tanquam abominabilem, quem inferius tanquam palato fœtus & matris, in brutis saltem, gratissimum proponit. Locum certè hic habet iudicium Dn. *Mauriceau* ante prolatum §. 26.

§. 33. Secundum argumentum non est diversum ab eo, quod author *libr. de carn.* habet, eadem E. ad illud respon-  
sio.

§. 34. Ad III. Resp. Dn. *de la Courvée* confutandum & confundendum iterum ex propriis assertis. Si liquor amnii gratissimus fœtui statuendus, quia gratissimus matri, cur quæso matri hominis parturienti, aut enixæ, aqua ista ingratissima, si par utrinque ratio? Suavitatem aquarum, si tanta esset, vel parturiens mater, vel obstetricantes dignoscerent. Sed abhorrent omnes, ut vix fuerit, qui gustaverit, vel gustando explorarit. Adeoque saltem in homine nullum habemus argumentum, quod aquas istas olfactui & gustui gratissimas probet. Supposito vero, quod in brutis ita se habeat, & par debeat esse ratio in homine, dicenda certè ratio, quare in homine ingratissima, ut ab ea abhorreat mater? Quæ fœtui grata, olfactui & gustui matris saltem non ingrata, v. gr. lac maternum, pulticulæ infantum. Adeoque arbitramur in brutis esse peculiarem instinctum, quare lingunt humiditates, quibus madet fœtus : an falsedo sit? cujus particeps omnino est, licet obscurè, dubium; probabile tamen suppeditat argumentum Dn. *de la Courvée*, nec obstant, quæ addit supra §. 10. Non enim nisi obscura falsedo est in aquis, nequaquam qualis in urina. Forsan alios in fines natura quadrupedibus hunc stimulum indidit : Editis namque catulis, humore isto madidis, benè esse non potest, præcipuè frigori expositis in libero aëre; natura enim hunc stimulum videtur indidisse, ut lambendo exsiccent pellem. Forsan in quibusdam alii atque alii fines accedunt : nam v. gr. urforum catuli eduntur in lucem, membranis crassissimis obvoluti, ( quod occasionem dedit fabulæ, quasi urforum partus essent informes, instar massæ carneæ ederentur, & linctu matris demum organicum corpus forma-



formaretur ; sicut *Ovid. libr. 15. Metamorph.* vulgarem illam sententiam proponit, dicens :

*Nec catulus, partu quem reddidit Ursa recenti;*

*Sed malè viva caro est, lambendo mater in artus*

*Fingit, & in formam, quantum capit ipsa, reducit.*

quæ tamen est falsissima) quas demum diuturno linctu mater ursa avellit à catulis : en alium linctus usum ! de equis *Arctoteles* tradit, cum pepererunt, illas statim secundas devorare atque etiam, quod pulli nascentis fronti adhæret, hippomane seu carunculam illam in fronte pulli, caricæ magnitudine, colore nigro, quam dentibus convellit equa : teste *Plinio*. Suavitatis hæc causa fieri, ut credamus, nos certè à nobis imputare non possumus : non est equa animal carnivorum ; contrarium naturæ nos non intelligimus. Elucet saltem inde, quod linctus non fiat necessariò suavitatis causâ, & inde nullum argumentum pro humore nutritio necti possit.

§. 35. Ad IV. dicimus, omnino benè se habere, quod dicitur amnion non esse locum naturalem, & proprium, & conservativum, qualis est vesica. Propterea jam nobis supra §. placuit, quod urina foetus in vesica retineatur ad tempus partus & retineri nos imperforati docuerunt, sicut & excrementa alvina in intestinis ; quia in maturo foetu semper plena & distensa est vesica, & statim redditur urina, quando egressus ex utero foetus. Sed non ita ratum & certum habemus, nullo exemplo declarari posse, urinam, vel etiam serum, quod urinam debuisse constituere, in alia cavitate posse diu detineri, quin majore falsedinem & acrimoniam acquirat, & ad corruptionem tendat : autopsia enim contrarium sæpius probavit. Sed quoniam illud argumentum pugnat contra eos, qui urinam volunt aquarum uterinarum materiam, à qua sententia alieni sumus, idèò operæ pretium non est, refutationi illius diutius inhærere.

§. 36. Ad V. fuit jam responsum supra §. 3.

§. 37. Ad VI. Responso desumenda ex dictis supra §. & hæctenus contra urinam urgentes satis efficaciter concludit.

§. 38. Ad VII. dicimus, nusquam ab authore nominari illa animalia : & nullum animal ex perfectioribus quadrupedibus nominari potest, quod neque sudet, neque mingat : sed ad verum latil



atilia & pisces, ex ovis exclusa, respicit. Sed respondemus, qui seriò asserit, tali liquore abundare in testis pullos volatiliū proportionaliter, ei cognitam non esse molem illarum aquarum, quibus innatat fœtus humanus, quamvis humiditatem ex reliquis humiditatis ovi & diaphoresi pulli non negaverimus. Pulum autem gallinaceum in aquis natāre, nonne est ridiculum, quia evidenter est falsissimum? Et quo quæso consilio natura animalibus, quæ extra animal in testa formantur, molem illam aquarum dedisset? Inferius enarrabimus usus illarum aquarum, qui locum certè non habent in ovis volatiliū: corruet E. etiam hoc argumentum.

§. 39. Ad VIII. Authoris argumentum respondemus, dicendo quid sit ille liquor, cui innatat minimus embryo, quamvis quædam jam in superioribus dicta: Ex utraque seminis massa liquata fœtus incrementa sua prima sumit, uti satis curiosis constat; cum vero illa incrementa & appositio, sine quadam coagulatione fieri non possit, inutilis serositas excluditur; sicut quando caseus coit, serum excluditur. Semen autem præcipuè muliebri serosum esse, humidum, aquosum, coagulationi & conformationi minus aptum, nemo dubitaverit. In casu E. de quo quæstio, unde possit suppetere liquor, ultrò intelligitur.

§. 40. Ad IX. notamus: Illud ratiocinium multa continere, quæ benè probant, aquas amnii non esse urinas, scil. auctoritatem authoris libelli, *an animal sit id, quod in utero est*, celerem dejectionem à partu, repletionem quocunque mense inspicitur, magnitudinem vesicæ respectu ventriculi, urachum datum tanquam ligamentum suspensorium propter molem & pondus urinæ, quæ omnia probant, urinam retineri gestationis tempore. Sed tametsi benè probatum sit, alvi fœces, urinam, imò bilem in vesica fellea retineri, malè tamen infert, E. nihil planè excludi posse ex embryone, nihil etiam per insensilem traspirationem, quod densatum sudor possit dici, aut nihil ex principiis ipsis posse superesse, quod ad aquas constituendas faciat: quando E. excrementa corporis appellantur, quæ vulgus excrementa nominat, stercus & urina, verum est, quod retineantur, donec fœtus editus in lucem illa excludat: quando verò



excrementi nomen latius sumitur, vel in foro Medico sumi-  
ceptum est, falsum est, quod omnia retineantur. Ratio ve-  
discriminis, quare stercus & urina retineantur, quæ ex insen-  
verò transpiratione, non ita, hæc videtur: 1, quia illa per  
ctorum organorum opera excludi non possunt, antequam in l-  
cem editus fœtus respiret, nisi violentia accedat: 2, quia  
ne incommodo & molestia fœtus non possent deponi: quæ v-  
ro per insensilem transpirationem transeunt, ultrò exhalant,  
vaporant, evolant: & collecta & densata in aquas, fœtui im-  
gnes usus præstare possunt, de quibus infra. Addi posset D-  
*de la Courvée* sibi ipsi contradicere, dum in tractatu suo oste-  
dit, sordes, quæ adhærent lutosæ & subflavæ fœtui, esse ab ex-  
crementis cerebri: si sunt ab excrementis cerebri, certè secu-  
dum ipsum aliqua excrementa extra corpus vacuantur.

§. 41. Ad X. Resp. Insultationem talem valdè inter-  
pestivam esse, quia non habet, quod exprobet. Summa hæ-  
redit, sudorem, in fœtu in claustro materno detento erumpere  
non posse, quia in adultis à causis violentis, nimio labore, exer-  
citio, æstu suscitatur, quas causas, secundum ordinarias nat-  
ræ leges, in fœtu benè sano supponere non possumus. At v-  
ro huic difficultati pridem obviam ivimus, cum supra §. 3. n-  
tarem, quid sudoris hic veniat nomine. Potuisset etiam sat-  
facere *Roderic. à Castro* responsum, ad *Mercati* objectionem  
*l. 1. c. 9. de nat. mul.*

§. 42. Ad XI. Resp. Omnia bene se habere, labia e-  
iam quam primum ad hoc, absoluta formatione, apta sunt, mo-  
vere, ringere, stringere os, nulli dubitamus; sed eâ ratione  
ut superius jam §. 32. indigitatum. Num gustu præditus sit em-  
bryo, arduum videtur definire: *Hippocrate* enim ac *Galeno* t-  
stibus, partes omnes clausæ sunt, præter umbilicum, & per co-  
sequens etiam os, jam si os clausum est, quî gustare potest? c-  
dit igitur & hoc argumentum.

§. 43. Ad XII. Resp. Ex eo ipso, quod in pullo in ov-  
recondatur vitellus, absumpto albumine pro alimonia necess-  
rius, apparet, quam dispar sit nutritionis ratio in pullo & fœ-  
hominis: quid enim quæso est, quod vitello in abdomine r-  
condito, respondeat in fœtu humano? & quidni invertama  
gumer



umentum ; si pullus in ovo non nutritur per os , inde deduci non potest , quod foetus humanus nutriatur per os. Atqui ille non nutritur per os , sed recondito in abdomine vello ; E.

§. 44. Ad XIII. dicimus : Non nutrirī & augeri per habitum corporis , ut *Alcmaeon* voluit , verum est , si accipias de foetu , partibus jam formatis , quibus cutis inducta : falsum autem est , si accipias de foetu in rudimentis suis jacente , qui accessiones certē nullas habet , nisi ab ambiente colliquamento. Ita etiam de hoc verum , quod non per umbilicum nutriatur , quia ille nondum existit : sed falsum de foetu , postquam umbilicus formatus est. Ad quam nutritionem eleganter allusit *Joh. Pincierius* in suis *enigmat. l. 3. enigm. 1.* diceus :

*Os habeo & vivo , non esca per oris hiatum*

*It tamen , aut potus sumitur ore mihi.*

*Et nares habeo , nec iis tamen aëra duco.*

*Verum aliis intrant victus & aura viis.*

Adeoque negatis suppositis , exinde conclusio desiderata non potest deduci.

§. 45. Ad XIV. notamus , quod maximam speciem videatur habere , utpotē ex sensuum fide desumptum : verum sufficientem responsionem subministrant , quæ superius §. 28. adducta sunt , de meconio & contentis in intestinis.

§. 46. Ad XV. Resp. Illud instantiis facile infringi : In hydropico , v. gr. potentiae superioris actus celebrantur sine ulla læsione ; mens valet & ratiocinatur sine ulla hæsitazione : œconomiâ tamen naturali in infimo ventre eversa , neque ventriculus , neque intestina , neque hepar , lien , pancreas , renes suum faciunt officium. Ante pubertatem tum mas , tum fœmina actus superioris facultatis animalis omnes exercet , audit , videt , olfactu , gustu , tactu præditus est , loquitur , ratiocinatur , neque tamen ad generationem apti sunt. Ita in statu naturali , tum p. n. instantiæ occurrunt , ut difficile non sit , concipere , plenam actionem ventriculi suspendi , donec editus sit in lucem foetus. Quas potentias in claustro materno , consultum est in actum deduci in commoda foetus , illas notamus in actum deduci ; atque ita motus fit posterioribus mensibus , ut aliqualis fiat extensio ar-



tuum : Chylosi vero opus non fuit, quia natura aliter prout, ut fœtus nutriatur.

§. 47. Ad XVI. Resp. Multa similia, multa quod dissimilia notari in ovo & conceptu humano, arbitramur omni-  
satis constare. Duplex etiam alimentum admittimus, prius  
quidem colliquamentum, deinde vero etiam sanguinem nu-  
num per umbilicum communicatum, quando moles carnea  
stituenda, & ceteræ partes augmentum insigne capere debent  
quod ab initio ita non fit.

§. 48. Ad XVII. dicimus, illam rationem iterum  
ponere, quæ falsitatis accusari meritò possunt : nam ul-  
mensibus illas aquas diminui, nulla habemus indicia : imò  
illarum tum maximè urget : & ocularis inspectio contrarium  
cet, ut videre est supra §. 3.

§. 49. Ad XVIII. Argument. Resp. in hoc argu-  
to mirè sibi placere, & insultare quasi Dn. *Harveo*, quod non  
solvere tentans, in summam inciderit absurditatem, ut videtur  
est *Part. 3. cap. 13. pag. 155.* Sed rem quod attinet, dicimus  
rum equidem esse, pullos equinos & porcellos, nec placentam  
nec carunculas habere, habere tamen, quod illis similitudini  
usu respondeat, nimirum chorion, placentæ quasi naturam  
duens : ut patet ex *Hieron. Fabr. ab Aquapendente, Needham*  
aliisque ex recentioribus scriptoribus. Expresse enim *Aquapend.*  
dicit : *Neque huic rei obstat, quod equæ & suilla hac car-*  
*mole destitui videantur, non tamen revera destituuntur : quoniam*  
*in utrisque conspicere est minima & innumera tubercula, per*  
*chorion dispersa, & sese quasi mutuò tangentia, quæ in cavitate*  
*ibi in utero respondentes, intrant, quæ sanè carnea substantia*  
*cem subeunt* : Cum E. sit, quod respondet placentæ in  
animalibus, limitandum est Dn. *de la Courvée* argumentum  
quo limitato, etiam limitata erit ejus gloria : limitamus au-  
tem ita : si dantur bruta, quæ nec placentam, nec carunculas, ceteris  
bus adhæreant utero, habent, nec quod his respondeat, fecerunt  
tur, fœtum aliunde nutriri, quam per vasa : Minorem ita falsitas  
patet ex superius enarratis.

§. 50. Ex hæcenus dictis liquet, verum esse, quod  
*Mauriccan* de argumentis Dn. *de la Courvée* pronunciavit,  
si b



bene expendantur, ultro corruere. Superpondii autem loco  
 intra dictam sententiam ita argumentamur : Si editi in lucem  
 tus, tum humani, tum alii, sine ore, manifestum est, illos in  
 tro per os alimentum non accepisse. Atqui tales sunt visi. E.  
 l minoris illustrationem revocet sibi in memoriam, monstro-  
 fetus sine capite natos, qui dicti ἀκέφαλοι, de quibus præ-  
 teris videri potest *Ulysses Aldrovandus in libr. de monstror.*  
*cap. de erratis naturæ in formatura capitis.* Metuit for-  
 a sibi Dn. *de la Courvée* ab hoc argumento, propterea *Part.*  
*cap. 11, pag. 135.* dicit : *Si perfecti pueri labia coalescant inte-*  
*re, fore ut fame pereat : si autem non integrè, sed aliqua rima*  
*ret, hanc sufficere, ut per eam alimentum subeat os & stoma-*  
*um.* Imò se dubitare, an unquam puer sit natus, ore omnino  
 uso. Verum tamen hæc in gratiam thesæos dicantur, sunt  
 nen contra experientiæ fidem ; si ἀκέφαλοι nati, quis dubi-  
 , sine oris usu nutritos fuisse. Denique maximam difficul-  
 tem nobis suggerit sæpius jam citatus Author, supponens, la-  
 um & quasi butyrosam in aquis fugi à fœtu, cujusmodi se-  
 stratio nullo exemplo declarari potest.

§. 51. His itaque absolutis, operæ pretium, expen-  
 re argumenta, quæ pro eadem sententia profert Dn. *Die-*  
*merbræck pag. m. 299.* & Dn. *Entius in apologet. digress. cap. 5.*  
 æ examinabimus.

§. 52. Dn. *Diemerbræck* cum paucis quibusdam re-  
 nioribus arbitratur, lacteum quendam succum, ab utero ma-  
 s in hepar uterinum, per lactifera quædam vasa, & ex hepa-  
 uterino, per vasa umbilicalia lactea ferri in amnion, *pag. m.*  
*8.* Fatetur equidem ingenuè, vascula illa lactea nusquam vi-  
 occurrere, & unde prodeant, nemini compertum esse : Ar-  
 ratur tamen, agnoscenda esse talia vascula, si alia phænome-  
 , & ratio ex illis hoc suadeant, cum certi simus, quam fa-  
 è quælibet vasa chyliifera & lymphatica, ipse ductus thoraci-  
 s majusculus, si repleta non sint, visum fugiant : Præsertim  
 m indicia quædam illorum, quamvis obscura, ab Anatomi-  
 observata sint, quæ apud ipsum videri possunt. Phæno-  
 ena autem, quæ necessitatem istorum suadere videntur, pro-  
 nit *pag. m. 299.* suntque hæc tria. 1, quod liquorum sacci  
 ductus-



ductusque chylieri thoracici & amnii maxima sit similitudo colore, sapore & substantia. 2, quod nonnunquam in pueris chylosus & lacteus quidam liquor ab utero copiosus profluit, ut fide historicâ probat. 3, quod assumpta liquida coloratissimè ad uterum perveniant, nec per alia, quam lactea vasa citò & eo usque penetrare possint; duas adfert historias foetus cuncti, cujus mater in partu crocum in jussulo sumpserat. Potest & hoc addi, quod *in fin. cit. pag.* dicit: *Vidi hunc succum in testinulo umbilicali perfectam gelatinam, & in amnio ferè albinis ovi consistentiam conquirere.*

§. 53. His tamen rationibus res nondum ad liquidum deducta videtur: Nam ad Phœnom. 1. notamus; si lactus ductus thoracici colorem notat, talis revera illarum aquarum color non est, sed qualem supra designavimus; colorem quoque nihil probare, in §. 4. indicatum est. Saporem quod concernet, vide quæ dicta ad Dn. *de la Courvée argument.* 3. Consistentiam denique quod concernit, illa in amnio non est lactea, sed qualem itidem superius annotavimus: quoniam autem sensuum testimonium reclamatur, arte hoc probatum eunt; mirum dicunt, amnii liquorem coctione gelatinæ consistentiam acquirere, ut refert Dn. *Diemerbræck* ex Dn. *Rolfincii lib. differt. anat. cap. 32.* Hoc experimentum certè nobis dubium moveret, nisi statim è diametro contrarium apud Dn. *Mauriceum* occurreret, qui scribit: illas, si coquantur, per evaporationem totas consumi, nec inspissari, ut faciunt humores nutritii. In diametro sibi contradicunt in experimentis, quæ tamen sensu fide debent constare. Concludimus adeoque qualemcunque analogiam coloris, & qualemcunque ne quidem probatam saporis, & consistentiæ, minimè inferre identitatem humoris amnii cum humore in receptaculo chyli, aut ductu thoracico.

§. 54. Alterum Phœnom. ex quo Dn. *Diemerbræck*, error conatur probabilitatem succi nutritii lactei in amnio, quod concernit, scil. quod nonnunquam in puerperis chylosus & lacteus succus ab utero copiosus profluat, ut fide historicâ probandum refert 1, unam alteramve historiam, lactis per uterum excreti in puerperio. 2, nobis revocat in memoriam, quod sa-



in puerperis, circa finem fluxus lochia albescant, & quasi sublacteum colorem acquirant, qui tamen suctione citò desinit. Nos arbitramur, hæc phænomena nullatenus probare, ad quod probandum adducta sunt. Nam si substantiam hepatis uterini consideramus, illa tota quanta est parenchymatica, si ulla, quasi tota cruor, nigricans caro: cum longè aliam speciem præ se ferre videamus partes, quæ lacteum succum vel generant, vel continent: glandulas mammarum, receptaculum chyli, venas lacteas &c. 2, nullum indicium lactei succi aut similis, aut analogi humoris in placenta unquam ab ullo Anatomico fuit observatum.

§. 55. Sed ut respondeamus ad phænomena proposita: Ad 1, Non vocamus in dubium historias, sed non probant, quod est in quæstione; Paucissimæ sunt, unde facile intelligimus singularitatem causæ: Imò in præcipuo exemplo allegato ex additis circumstantiis (p. 288.) patet, quando *Schenckius* ex *Bauhino* refert, quod *Capellus* Medicus viderit mulierem, quæ dimidium cyathum lactis ab utero & vesica evacavit: scil. non ad uterum tantum, sed & ad vesicam fuit facta metastasis & exclusio: Metastasis E. inusitata sicut ad vesicam, ita & ad uterum fuit facta; ex qua nihil licet inferre.

§. 56. Ad 2, Resp. Vacuationem illam quasi lacteam, sub finem lochiorum, non magis probare impetum lactei humoris ad uterum, quam fluor mulierum albus, seu alba menstrua; ubi sanguis degener & impurus facilè mutatur in candidantem mucum. Addimus, quod talis evacuatio non contingat illis, quæ lacte & sanguine abundant, ac succulentæ sunt, sed pituitosis potius, & quæ impurum corpus habent. Denique si talis esset motus facilis, & quandoque impetus lactis versus uterum, mulieres succulentæ, quæ ut speciosiores sibi servant mammas, nolunt lactare, vel propter varias causas non possunt lactare, haberent semper, non admissio ad ubera lacte, talia menstrua. Adeoque etiam inde non probatur impetus lactis ad uterum, & tempore imprægnationis exoneratio in amnion.

§. 57. Ad 3. Resp. Non rarum est apud pauperculas, in difficili partu exhiberi crocum, & apud opulentas seu lautioris for-



runæ mulieres, confectionem de hyacintho, quæ croco tincta est, & tingit, aut pulveres pretiosos, qui crocum recipiunt parturientibus exhiberi, non tamen fœtus croco tincti inde conservantur. Contra constantem E. experientiam unum vel alterum exemplum, quia in singularibus facile fallimur, nullam habere vim: & alterum allegatum exemplum ex *Henr. ab Heer* pag. 187. desumptum, planè non videtur quadrare, quia non de vedine ab humore amnii superficialiter communicato, sed persistente colore loquitur: potuit mater per imaginationem lem colorem conciliasse, sicut experientia docuit, Europæ niveas, quandoque ex aspectu Æthiopum, nigricantem prole edidisse: Potuit etiam ictericus fœtus esse.

§. 58. Ad Phœnom. 4. notamus: In intestinulo umbilicali, non gelatinam conspici, sed pinguedinem, & quid consistentem etiam tum, quando modò ex utero egressa perfecte calens adhuc examinatur: Pinguedo autem illa nullum indicium, huc commèantis succi lactei. Quod verò in amnionis albuminis ovi consistentiam acquisivisse se vidisse scribit *Diemerbræck*, necesse est, inciderit in statum p. n. quales enim sint illæ aquæ, tum in utero, tum extra uterum, superius jam dictum, scil. serosæ, fluidæ, quale serum lactis. Et sanè si in utero essent, quale albumen ovi, quæ quæso causa illam deponeret glutinositatem, dum in partu vacuantur, ubi tales minimè deprehenduntur: frigore sanè glutinositas augetur. Adeoque & *Diemerbræck* argumenta etiam parum roboris habent. Quid sex ejus rationes, quas pro nutritione fœtus per os, & succo nutritio in amnio, p. m. 317. profert, sit respondendum, ex superioribus passim dictis patet.

§. 59. Denique quod *Dn. Entii* argumenta attinet, i. satis animosè scribit, succum amnii à mammis mulieris ad uterum profluere, fœtumque non minus in utero, quam extra uterum lacte nutriri matris, putatque in brutis animantibus, ubi utero vicina adstare, ut ex iis lac facilius ad illa fluat: Arbitratur lac è mammis descendere per venas mammarias, ex iisque in ejus gastricas anastomosi illis junctas transfundi, ac per has ad uterum profluere: Persuasum sibi habet, fieri non incommodè possi-



ut per aliquas venas contrarius usitatæ circulationis fluxus instituat, si novum trahens accedat, quod in fœtu est cor illius. Addit hac de causâ lac in mammis tamdiu ante partum generari, scil. cum fœtus incipit moveri circa dimidium gestationis tempus, quodsi enim lac ad fœtum non deflueret, ex ejus sententia magnum incommodum mulieri crearet, & in mammis retentum per tres, quatuor menses corrumpetur. Maximum autem pondus petit ex *Hippocr. aphor. 37. sect. 5. Si mulieri uterum fœtienti mamma subito extenuentur, abortus sequitur*: ait enim, cum lac deficit in mammis, nihil alimenti fœtui in utero hærenti, à mammis suppeditari potest, & hac de causâ tunc moritur.

§. 60. In hac vero doctrina plura desiderantur: Nam in genere, succum amnii deducendum non esse à mammis, clarè patet, quia fœtus in illis hæret, antequam mammae lac habent, id dimidium scil. gestationis tempus. Cum autem pleraque jam Dn. *Diemerbræck* p. m. 300. & 301. discussa sunt, Benevolum Lectorem illuc remittimus. Ita & Dn. *Entii* discursus non magis nos turbat, quam priorum allegatæ rationes.

§. 61. Coronidis loco huic sententiæ adjungimus, humores istos non alimentitios esse. 1, quia invida, imò & luxuriosa videretur esse natura, si tantum alimentitii humoris detraxerit matri, eumque inutiliter profunderet, & absque causa perderet: Egregiè sanè *Seneca de Benef. lib. 5. cap. 8. Rerum natura nil dicitur perdere, quia, quicquid illi avellatur, ad illam redit*. Sicut enim natura nil prætermittit, ita quoq; supervacaneum nihil assumit, ut *Galenus* passim demonstrat. 2, quia mater tantum sanguinis [& chyli nutrientis, sine propria noxa, & corporis sui destructione, minimè suppeditare posset. Quantò enim cum incommodo vitalis purpura nonnunquam ejiciatur, Practicorum libri testantur. Idem de chylo pronunciare licet.

§. 62. Sed & properandum ad quintam sententiam: Inter illos igitur, qui excrementitium humorem & alimentarium sedibus & membranis distinctos urgent, facilè principem locum obtinet Dn. *Diemerbræck*. Ipse enim quoniam agnoscit mem-



branam Alantoidem in muliere inter chorion & amnion latere  
& extendi , etiam agnoscit illum humorem urinaceum seu  
nam continere : In ipsa vero capacitate amnii , magis lacte-  
succum seu liquorem instar lactis ebutyrati nutritium , in  
immediatè fluctuat fœtus, adesse : addit ignoratum hoc discrim-  
utriusq; humoris, causam fuisse multarum hæitationum. Verum  
cum hæc sententia nullo alio nititur fundamento , quam quod  
ex necessitate membranæ Alantoidis desumptum : illa autem  
homine non datur : neque enim experientia illam monstrat,  
rationibus probabilis reddi potest ; experientiam quod spectat  
la planè contrariatur : *Nicolaus* enim *Hobokenius* , qui minime  
pervestigavit & designavit , adornans Anatomiam secundinæ  
manæ , ait : *Membranas tantum duas observavi , Chorion &*  
*Amnion.* Dn. *Mauriceau* de cujus multiplici experientia non  
dubitare potest , ait : *Si membranæ exactè examinentur ,*  
*pluries feci , apparebit , nunquam plures esse , quam duas , fructus*  
*plures adderem :* & ipse Dn. *Diemerbræck* , ut ingenuus est , con-  
didè asserit : *Alantois ad hoc usque tempus inconspicua latet.* Illæ  
tiones quod attinet , illæ admodum infirmo stant talo , cum in  
tis instantiis infringi possunt , sensusque aliter fidem facit , ratio  
autem sui ruinam ab experientia semper expectat. Opus itaque  
non est , huic sententiæ diutius inhærere , instituti nostri ratio  
hoc non permittente.

§. 63. Progredimur E. ad sextam Dn. *Stenonis* ,  
exemplo porcellorum sylvestrium vult declarare , esse non tantum  
sudorem , urinam , sed & stercora in his aquis , ex quibus  
tamen nutriantur : referente nobis *Th. Bartholino in Act. D.*  
*lib. 2. observ. 89. pag. 228.* ait enim : *Novo experimento*  
*invenit , ore nutriri fœtum in utero , quandoquidem non modò*  
*amnii humori , similis humor in eorum stomacho repertus fuerat*  
*sed etiam conspecti ibi fuerint globuli solidi , magnitudine , figura*  
*& colore illis similes , qui intra amnium erant , quos globulos*  
*testini recti excrementa fuisse , residui in eodem intestino glo-*  
*buli prædictis simillimi evincebant ; quid amplius miramur , cum*  
*excrementa inservire nutritioni , si ipsa ani excrementa in stom-*  
*achum revehantur ; scil. quæ primis à formatione diebus , ab*



ernis fluidis in externum fluidum, per capillaria vasa secernuntur, cum vel succi visciditas, vel caloris imbecillitas, multa ibi reliquerint cruda, etiamnum & cum tempore in partes subtiliores resolvenda, toties de novo in corpus recepta eundem circulum percurrunt, donec acria reddita, ubi semel in fluidum externum seu amnii liquorem deposita fuerint, ut sensum nimis ferientia, rejiciuntur ab animali, illudque ad exitum stimulant.

§. 64. Quod hanc sententiam concernit, arbitramur, nullam ad opiniones eorum pertinere, qui intelligendo faciunt, ut nihil intelligant, seu singularis scientiæ affectatione omnia confundunt. Non equidem in dubium vocamus fidem historicam Dn. *Stenonis*: Verum cum constans alias experientia nil tale nobis exhibeat, quæso an non potius concludendum erat in eo casu, p. n. fuisse, quæ vidit, quam inde tam monstrosam sententiam formare: sed hic excellentium ingeniorum est genius & abusus.

§. 65. Cum E. enarratarum posteriorum sententiarum nulla nobis satisfaciat, quousque verò amplectamur sano sententiam de sudore, supra sit enarratum, rudimentorum etiam suo loco sit facta mentio, superest, ut summam nostræ sententiæ subjungamus, quæ hæc est: aquas istas in quibus foetus continetur, originem suam ducere, partim ex colliquamento utriusque seminis, nimirum antequam partes foetus efformatæ, ut usum præstare possint, partim verò ex insensibili transpiratione, postquam jam corpus sanguine materno nutritur: esse unius generis, & sibi affimiles, sententia judice, (quæ causa, quare de differentiis verba facere non querimus,) & in summa quales supra statim à principio designavimus.

§. 66. Superest, quia vela contrahenda sunt, de usu illarum aquarum quædam addamus, quia ad illustrationem non parum faciunt; præstant autem illum vel gestationis tempore, vel in partu. Est autem I, ut foetus aquis innatans levior sit: quod non in rigore accipiendum, sicut faciunt, qui rident hanc sententiam, quærentes quomodo levior fiat foetus, dum mater & foetus & aquas gestat: Sed ita accipiendum, quod fo-



tus in aquis natans , minori molestia afficiat matrem , quam in sicco hæreret , quia ita non tangit uterum immediate , quando movetur , aut se convertit , allidit ruditer in eum. Comparatus ad securitatem fœtus , quando variis de causis stringitur vel comprimitur mater , vel illa præceps cadit , fortè patitur contusionem in ventre : In aquis enim hæret fœtus , ita tutus est , nisi enormis sit vehementia causarum. III, In aquis facilius se movet fœtus , & quando ad exitum componere debet , situm quasi invertendo , ut caput obvertatur orificio uteri , facilius hoc fit , quam si membranæ immediate eum amplecterentur. IV, In partu , ruptis membranæ seu involucris , cervix uteri & collum uterinum , humore lubrico elabente , unctuosâ quasi redduntur , hinc facilius dilatantur & eluctanti puero faciliorem exitum concedunt. Unde videmus , quod si ante tempus partus aquæ egrediantur , fœtus in utero sicco sæpè emoriatur , & quam difficilis sit partus siccus , satis manifestum.

§. 67. Hæc sunt, quæ potissimum ex Lectionibus publicis, & Colloquiis privatis Dn. Præceptoris mei æternum colebimus, di, Exercitii hujus Præsidis Excellentiss. colligere licuit.

Tu Lector candide hæc candido , id est eo ,  
quo scripta sunt , suscipe  
animo.





**H**Eu mihi, quàm vanâ ludunt sub imagine  
ver  
Ficta diu, nec adhuc optima quæque  
patent!

Magna ruunt, ausis, conamina prisca, Novorum,  
Et Veterum placitis abstinuisse placet.  
Antiquæ ut redeat lux & honor Sophiae.  
Vulmina summa, ferunt, ARTEM tetigisse Me-  
dentum:

His seclis altô gratia facta Polô!  
 st falsa incertis jungens, si quæris amantem:  
 Nunc, referet, si unquam, me scio scire nihil!  
 tamen invictæ mentis disquirere cuncta,  
 Mirâ ut judicium dexteritate ferat.  
 omnia perlustrat, rigidâ sed glande relictâ,  
 Inventâ novit fruge subinde frui.  
 ectè ergo instituis STUDIUM, me judice, A-  
 MICE,

Quod tenebras TANTO PRÆSIDE dis-  
cutias.  
ui nec Avita nimis MENTEM, nec cura No-  
vorum,

Sistit, at æquanimò est omnibus arbitrio.  
 Hòc, foetæ exploras, RECTORE, liquamina matris,  
 Et natura quibus destinet illa scopis.

Non



Non sudor crassus , TIBI : non urina : nec ori  
Halitus , aut nasi : neve cibus pueri.  
Est tamen , hæc , udor tenuis , spirata tenello  
Corpore colluvies , ut modò ritè probas  
Sic ea rimatus , studio curata decenti ,  
Ut studium Partis desit , & invidia.  
Hòc , perges medicas , DUCTORE , resolv  
tricas  
Felici : tandem DUX eris IPSE bonus  
Tunc Capiti laurum debes ; frontique corona  
Illâ , BONA & quævis Corde , VOVE  
DA , precor !

*Amicissimo*

*Domino Respondenti*

*J. W. C. H.*  
*M. C.*

---

*Qui cupiunt aliquem penitus cognoscere , primò  
Ejus de patriâ quærere certa solent.  
Fallor an illud idem fecisse fateris , Amice ,  
Cum Tua in hanc lucem quæstior rara veni  
Qui cupiens hominem physicè cognoscere totum ,  
Certior ut noti nempe medela foret ,*



*lâ de Patriâ inprimis, unde edimur omnes,  
Differis hac, doctâ quæ ratione probas.  
sempe studes, homines ut cum benè noveris Ipse,  
Te noscant homines, ingeniumque Tuum.*

*Nobiliss. Dno. Respondenti  
benè ominatus apposuit*

*Samuel Artopæus. P. L.*

---

¶ Xiguo incolumem spatio sanumque sub undis  
Urinatorem vivere posse stupes?  
esine mirari, causam quando ista stuporis  
Longè m̃joris nunc *Tibi* charta dabit:  
ilicet ut plures matris sub pectore menses  
Innatet in mediis Embryo vivus aquis.  
æc dum naturæ miracula pandis *Amice*,  
Dum, quibus ista fluat fontibus unda, doces:  
gregium medica Specimen nunc edis in arte,  
Et *Te* perspectum corpus habere probas.  
erge ita coepisti quo tramite currere, & in *Te*  
Sic rediviva *Patris* nomina *Avique* dabis.

*Pauca hac Pereximio Dn. Respondenti, Amico  
Optimo gratulabundus apposuit*

*Melchior Sebizius, Argent.*

*Quæ*



**Q**uæ plantis, homini, quanta est solertia brutis,  
Perpetuant species singula prole suas.  
Conditam namque semel jubet esse perennia Num  
Quod Te miratur nullus, Amice, magis.  
Nam quem conceptus sibi colligat Embryo victum,  
Et quæ sunt, quæris, cætera, sollicitus.  
Laudo conatum, rimando perge, secundet  
Tentamen, studium dirigat atque DEUS.

*Paucula hæc contestanda amicitia causa  
gratulabundus apponere voluit*

David Meyer, Argent. Med.

**P**opulus ( $\alpha$ ) aspectu hæc Phaëthontea, ( $\beta$ ) crede Viator  
Mentitur fructu nunc genus ipsa suum.  
Cinnama fructus olet, jures Taprobana ( $\gamma$ ) Matre  
Natum, quæ pelagus semper odore replet.  
Dignior est hujus fructus, quam est Indica ficus, ( $\delta$ )  
Nam res abstrusas, plus velut illa, docet.  
Ergo propaget, ficus velut Indica furcos, ( $\epsilon$ )  
Fama ejus nomen, laureolamque ferat.

( $\alpha$ ) *Espenholz* arbor sterilis, sed aspectu valde amœnus. ( $\beta$ ) *Ovid. Met.*  
*lib. 2. fab. 4.* ( $\gamma$ ) *Zeylon Insula cinnamifera.* ( $\delta$ ) *Fructus, quo Hariot*  
*rum in suis auguriis & vaticiniis utuntur.* ( $\epsilon$ ) *Arbor, quæ surculo suos*  
*ram remittens, innumerè sese propagat, & in totas sylvas in India O.*  
*excrescit.*

Ita

in pereximia Studia

**N**obilissimi atque Clarissimi Dni. Disputa  
Amici sui multis numeris estimatissimi jocosè alludit.  
& Ipsius Fortune, Studiisque prospera quæque  
precatus

Ex animo de specimine hoc Academic  
gratulatur

Ludovicus Joachimus Stollin  
S.S. Theol. & Phil. Stud.

F I N I S.